



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Casvvm Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisqve  
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

ijj. De Bulla[a]e diuisione, & prooemio illius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**

ut cum Papa excommunicat Clericum, qui recipit excommunicatum a Summo Pontifice ad officium Diuinum, c. significauit, de sent. excom. eto laicus admittat illum ad officium Diuinum non est excommunicatus. Ratio est: quia pena haec solum lata fuit in Clericis, & non in laicis. Secundo attendenda est actio, ut si excommunicatio feratur contra agentes; non comprehendit mandantes, aut consilientes. Ratio est: quia penae non sunt extendentes; Vnde fit ut in aliquibus sententijs non solum excommunicentur agentes seu facientes, sed etiam fauentes mandantes, consilientes, & auxilium dantes; vbi igitur haec in sententia non continentur, non est Ecclesia, & Summi Pontificis intentio, quod consilens, aut mandans penam illam incurrat.

7. *Quintum est.* Ad recte iudicandum de casibus Bullæ, haec confessarius diligenter præter ea, quæ iam diximus, attendere debet; Primo enim attendere debet, an Bulla in vsu, & obseruantia fuerit, quædo actio illa facta fuerat, si enim in vsu fuerat, tunc qui actum illum commisit, in cursuam incidit, eaque obligatus manet, quousque absoluatur ab habente potestate, etiamsi nunc casus ille in Bulla non sit. Secundo attendere debet obligationem casuum, qui de nouo ponuntur in Bulla, qui solum ad futurum temporis se extendunt, non autem ad præteritum. Vnde fit, ut quando quis confiteretur de suis peccatis, præsertim cum quis confessionem facit multorum annorum, attendere debet diligenter confessarius, an aliquis ex illis casibus fuerit in Bulla Cœnæ, & si incurrit fuisse in Bulla eo tempore, quo iste peccatum illud commisit, non poterit illum absolvere, ex quo appetet confessarium teneri inquirere de tempore criminis commissi.

*Ex qua doctrina* infertur confessarios habere debere non titiam aliquam non solum Bullæ anni praesentis, sed etiam aliarum Bullarum annorum præteriorum, & tot annorum, quorū penitentes instituit facere confessionem: id quod maximè necessarium est Pœnitentiarijs urbis Romæ, B.V. Lauretanæ, & aliorum insignium locorum, ad quos penitentes communiter concurrent solent, qui similibus censoriis, aut alijs gravissimis criminibus sunt retrocessi. Vnde in fine Bullæ monentur omnes quicunque audiunt confessiones, ut has literas Bullæ, aut earum transumptum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere scindant.

8. *Vnum* solum est, quod confessarios ab ignoratione Bullarum statum excusat, quod difficile singulis annis haberi possint, ideo consulendum est, ut quando emittant Bullæ nouæ, veteres reseruentur, & annotentur ea, in quibus Bullæ inter se discrepant, & quænam ea sint, quæ vel de nouo adduntur, aut subtrahuntur.

9. *Illud* etiam annotare debent confessarij, an penitentes incident in casum Bullæ Cœnæ Sede vacante, an vero viuente Papa, in qua re, quamvis nulla differentia sit in posterioribus Bullis summorum Pontificum, cum vt diximus, omnes vigorem suum obtineant usque ad nouam Bullam, vel ipsius summi Pontificis, vel sui successoris, ante Bullam tamen Gregorij XIII. anno 1581. mercæ hominis sententiae fuerunt, adeo, ut qui actum aliquem in eis damnatum, viuente summo Pontifice commiserit, in cursu Bullæ inciderit, qui tamen Sede vacante aliquem actum in eis damnatum perpetrauit, in eius censuram non incidit, vnde consequenter attendere debet confessarius, qui confessionem aliquius audiret, qui per multos annos confessus non sit (vt contingere potest in tortis hereticorum) an actum illum commiserit ante Bullam Gregorij XIII. sub anno 1581. & an viuente Papa, vel Sede vacante actum illum commiserit, cum in priori casu in Bullam Cœnæ inciderit, non tamen in posteriori: quandoquidem tunc sententia haec hominis sententia fuerant, & ideo mortuo conditore, seu Sede vacante non obligarunt, ut ex his, quæ superius docuimus, manifestum esse poterit.

## De Bullæ Diuisione, & Proœmio illius.

### Cap. III.

S V M M A R I V M.

1. *Bulla cœnæ Domini in tres partes diuiditur, & quænam le sint.*
2. *Proœmium Bullæ cœnæ Domini quid in se continet.*
3. *Literæ vox, in priori titulo Bullæ Cœnæ Domini apposita, quid denotet.*
4. *Processus vox in titulo Bullæ Cœnæ Domini posita quid significet, & quare Bullæ hec Processus appellantur.*
5. *Nomen Summi Pontificis, quare in titulo Bullæ Cœnæ Domini præfixum sit.*
6. *Verba illa, Lectæ die Cœnæ Domini, quare in titulo Bullæ Cœnæ Domini addantur.*
7. *Titulus secundus in proœmio Bullæ Cœnæ Domini additus quisnam sit.*
8. *Tituli secundi quis sensus sit.*
9. *Proœmium Bullæ Cœnæ Domini, causas promulganda Bullæ complectitur.*
10. *Bulle Cœnæ Domini promulgandæ duæ cause sunt, & quænam.*

1. *P*ost hæc, quæ in cōmuni de Bullæ antiquitate, & alijs ad eius intelligentiam pertinentibus dicta sunt, ipsius Bullæ expositionem aggrēditur, quæ in partes commodè distribui potest, quarum prima Proœmium; Secunda vero viginti excommunications & sententijs proprias in corpore Bullæ suis Claufulis distinctas; Tertia denique nonnulla ad durationem, vim, & efficaciam, resolutionemque, & alia similia continet.

2. *Proœmium autem duplice titulum, & causas varias promulgationis Bullæ continet, quæ suo ordine declaratae sunt. Prior autem Titulus est huiusmodi.*

## Literæ Processus S.D.N.D. Clementis Papæ VIII. lectæ die Cœnæ Domini, Anno 1598.

3. *M*erito quidem vox haec (Literæ) in literis Apostolicis, sed præcipue duas literarum species continet; Quæcum Peinam sunt illæ, quæ a Bulla plumbæ illis appensa, Bullæ nomen accepérunt, quæ literæ tunc dicuntur expeditæ, quando sunt plumbatæ, adeo, ut ante apposita plumbum Bullæ dici non possint, vt Alexander Cöf. 215. incip. Visus probationibus, volum. 2. & Ludou. Gomez. in reg. vtriusque signat. compend. circa medium extantur, de qua re plura legi possunt in fine libr. 6. super Data. Aliæ vero literæ sunt, quæ ex ipsa forma scribendi, eo quod in forma Breui scribi consueverunt, Brevia vocantur; Et quia haec literæ prioris generis sunt, Bullæ cœnæ Domini solent appellari.

4. *D*enide Secundo loco ponitur vox illa Processus, quæ visitatori, & antiquior est, vt ex Clement. 1. de iudic. collig. potest, necnon ex Procesu Martini V. apud S. Anton. par. tit. 25. cap. 72. Sic autem appellantur, quia per modum Processus ab Apostolica Sede sententia istæ emanant. Solent autem Processus duobus modis formati, vel in particulari contra aliquam certam personam, sive de uno delicto, sive de multis, & de tota vita eius, in quo processu, non potest ferri sententia, sine preiua causa cognitione, cum examinare teckium, & alijs iuris solemnitatis.

bus. & talis Processus vocatur specialis, seu particulatis, & propriè respicit vitam & actionem præteritam; vel secundum Processus fieri solet in Generali contra quascunq; personas, quæ hoc aut illud fecerint, & respicit tempus futurum, & talis est Processus Bullæ Cœnæ Domini.

<sup>5</sup> Postea additur nomen Summi Pontificis, ut sciatur a quo Processus ille emanat.

<sup>6</sup> Ettandem adduntur illa verba *Letæ Die Cœnæ Domini anno 1598.* eo quod in illa Die publicè, & solemniter vocie aliius S.R.E. Cardinalis, presente Summo Pontifice, & astante infinita populi multitudine promulgantur.

<sup>7</sup> Alter Titulus, est ille qui subsequitur in hunc modum:

### Clemens Episcopus, Seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam,

<sup>8</sup> Hic titulus ex se manifestus est, nec aliud continet quam nomen Pontificis, & solitam prefationem ipsius, qui ex maxima humilitate, & charitate se seruum seruorum Dei nominat, & Bullam præsentem, ad futurorum memoriam promulgar, ut ex dictis, & ipsius Bullæ verbis satis manifestum est.

<sup>9</sup> Post hos titulos, sequuntur cause promulgationis Bullæ in hunc modum:

*Pastoralis Romani Pontificis vigilancia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Republice pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneri officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda, maximè eluet, nimivrum, ut fidèles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in inequitate hominū, ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei; & agnitionis filij Dei in virum perfectam, neque se in huius vite sociate, & communione ledant, aut inter alteri alteri offenditionem prebeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti tanquam unius corporis membra, a sub Christo capite, eiusque in terris vicario Romano Pontifice Beatisimi Petri successore, a quo totius Ecclesiæ unitas dimanat; augætetur in edificationem, atque ita Diuina gratia adiutrice sic progressus vita quiete gaudeant, ut futura quoque Beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pontifices predecessoris nostri hodierna die, que anniversaria Dominię cœlestem commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiæ disciplinæ gladium, & salutaria iusflitie arma per ministerium Summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animalium salutem solemniter exercere consueverūt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei iniuiolatam integratam, publicam pacem, & iustitiam Deo auctore tueri, vetustum, & solemnum hunc morem sequentes.*

<sup>10</sup> In his Proœmijs verbis enumerantur cause, que tum Romanos Pontifices predecessoris, tum etiam præsente Pontificem, & uniuersalem Ecclesiæ pastorem, Christi in terris Vicarium, & S. Petri legitimum successorem, ad huiusmodi Processus, & sententias promulgandas merito inducere possint. Quarum una & precipua est, ut unitas, puritas, & integritas fidei Catholicæ, & religionis Christianæ retineantur, & conservantur, quem sane finem respicit Canon prius, qui contra hereticos, & eorum fautores, nec non contra Schismaticos fertur. Nihil enim est, quod fidei puritatem ita maculat, aut contaminat, sicut heres, ac illi affecti superstitione; Nec aliquid ita eiudem fidei Catholicæ unitatem lacerat, & diuidit, ac rebellio, diuisio, & schisma. Cum enim unitas fidei Catholicæ in mutua communicatione membrorum Ecclesiæ inter se, & debita subordinatione eisdem ad caput Ecclesiæ consistat, ita ni-

hil est quod tam manifestè unitatem hanc scindat ac schismatique, quo quis se, vel per apertam rebellionem, ab obedientia capituli Ecclesia hoc est, Romani Pontificis separat, vel saltem per velatam quandam, & adumbratam obedientię subtrahitionem se precepit. Summi Pastoris patere, nolle declaret, dum a Summo Pontifice ad futurum Generale Concilium appelle, contra quos, tum in posteriori parte Canonis primi, tum in Canone secundo, grauissima anathematis pena fulminatur.

Altera vero causa est, publice pacis, & iustitiae conservatio quæ cum varijs modis violati possit, ita etiam pro personarum varietate qua offendi possunt, varijs adhibitis remedijs, offenditionem omnem, quæ communiter accidere solet summus Pastor, in sequentibus decem, & octo Canonibus tollere conatur, & intendit. Ad quæ omnia me lius, & facilius prestanta, Ecclesiasticis censuris vitur, quas & spirituale Ecclesiasticæ discipline gladium, & salutaria iustitia arma vocat, quia nimirum Ecclesiæ spiritualis gladius sunt, quo malos a cōsortio bonorum separat, eosque tanquam membra putrida, a corpore Ecclesiæ abscedit, ne reliqua membra inficiant. Quæ etiam censuræ recte instituta arma salutaria, & medicinalia dicuntur, tum a Pontifice in hoc loco, tum etiam in cap. cum medicinalis, de sent. excom. lib. 6. & DD. ibi, quia per illas Ecclesia, vel illi ipsi contra quem arma ista exercet, vel saltem bono communio prodebet intendit, ut latius in lib. 1. de excom. cap. 3. docimus. Et de Proœmio, ac prima parte Bullæ hęc sint satis. Nunc secundam Bullæ partem aggrediemur.

### De excommunicatione Hæreticorum, & aliorum, qui in prima excommunicatione Bullæ continentur. Cap. IV.

S V M M A R I V M .

- 1 Excommunicatio prima Bullæ Cœnæ, contra quos feratur.
- 2 Excommunicatio prima in Bullæ Cœnæ, ad fidei Catholicæ puritatem conservandam, lata est.
- 3 Proœmium prima excommunicationis, quid in se contineat.
- 4 Excommunications Bullæ Cœnæ, qua auctoritate a summo Pontifice ferantur.
- 5 Auctoritas diuina, fons, & origo est omnis auctoritatis Ecclesiastice.
- 6 Auctoritatis Apostolorum S. Petri, & Pauli, quare mentionis, in ferendis Bullæ Cœnæ sententijs.
- 7 Auctoritas Romani Pontificis, in ferendis excommunicationibus Bullæ Cœnæ, qualis.
- 8 Excommunicatio contra hæreticos lata, quanta sit antiquitatis.
- 9 Hæresis definitio, quenam a DD. affignetur.
- 10 Hæreticus ut quis sit, tria requiruntur, & quenam illa sint.
- 11 Infidelis errans, aut Cathecumenus nondum baptizatus, hæreticus non est dicendus.
- 12 Errorum circa fidem cum pertinacia coniunctum tempore baptismi recepti habens, an, & quando hæreticus, & excommunicatus sit.
- 13 Hæreticus non est, qui in opus aliquod externum infidelitytatis consentit, absque aliquo errore intellectus.
- 14 Erroris nomen, quid importet.
- 15 Hæreticus non est, qui absque pertinacia circa fidem ex ignorantia crassaverat.
- 16 Pertinax, quis propriè dicendus sit.

Hære-